

13. *In dubio potius dicendum consuetudinem esse devotionis vel honestatis quam obligationis. — Modus et animus quibus consuetudo inducta est iudicio viri prudentis relinquuntur.*—Unde dico non esse facile iudicare de obligatione præcepti per consuetudinem inducta, et in dubio, ac cæteris paribus, potius esse inclinandum in eam partem, quod consuetudo sit devotionis, vel honestatis, et ad melius esse potius quam obligationis: quia generalis est regula, quod in dubio nemo præsumitur velle obligari, ut in materia de Voto dixi. Neque expedit multiplicari præcepta, ubi moraliter certa non sunt, vel saltem probabiliora. Deinde, dico iudicium de modo consuetudinis, et animo quo inducta est, arbitrio prudentium esse relinquendum, nec certam aliam regulam posse assignari, quia jure definita non est, et ex se res est lubrica et ambigua, ut difficultas proposita ostendit. Ad iudicandum autem de animo inducendi consuetudinem, possunt conferre hæc conjecturæ. Prima, si consuetudo sit longi temporis, et rei gravis ac difficilis, et communiter servatur a populo pro majori parte, quia non solet populus uniformiter convenire in hujusmodi actibus, nisi quando ex obligatione sunt, et sic est magnum indicium tunc duci ex cogitatione obligationis, quæ inducta jam est, vel inducitur. Secunda, si prudentes viri et timorati male sentiunt de his qui non servant consuetudinem, vel communiter populus scandalizatur, etiam est grave signum talis animi. Tertia, si Prælati aut gubernatores reipublicæ graviter reprehendunt, vel puniunt non servant consuetudinem, etiam est non leve indicium. Quarta, si materia consuetudinis ex se multum conferat ad utilitatem reipublicæ, ita ut obligatio ejus prudenter credatur esse valde expediens communi bono ejus, in dubio præsumi poterit esse ex animo inductam.

CAPUT XVI.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS LEGIS NON SCRIPTÆ PER CONSUETUDINEM INTRODUCTÆ.

1. *Consuetudo de seipsa promulgatur, cum sit signum publicum.*—Hæc questio breviter definienda est ex principiis supra positis, de legibus humanis scriptis. Nam ex dictis intelligi potest, generatim loquendo, omnia quæ dicta sunt de lege humana, quoad causas, vel effectus ejus, convenire cum proportionem in legem per consuetudinem inductam, his

exceptis quæ ad formam materiale seu sensibilem, et promulgationem illius legis pertinent. Hoc ultimum patet, quia hæc lex consuetudinis per se non differt ab illa, nisi in signo sensibili, quo explicatur voluntas legislatoris (quod signum voco sensibilem formam legis); nam in lege stricte sumpta illud signum est scriptura aliqua, vel saltem expressum verbum legislatoris: hic vero non est signum scriptum, nec ita expressum, sed sunt facta externa, ut declaratum est. Atque hinc sequitur ut in lege, præter actum legislatoris, requiratur promulgatio, quia ille actus de se non est signum publicum, nisi promulgetur. Hic autem signum ipsum est publicum de se, et notorium populo servanti consuetudinem, et ideo non indiget alia promulgatione, quia (ut statim dicam) consuetudo tantum obligat populum servantem illam, et ideo alia promulgatione vel divulgatione non indiget. Nam, ut ad alios populos extendatur, oportet ut illi acceptent consuetudinem, et illam imitentur, et ita ipsa imitatio erit apud illos inductio similis consuetudinis, ejusque promulgatio. Si autem unus populus acceptet consuetudinem alterius, non per consuetudinem suam, sed per statutum præcipiens ibi servari quod alibi consuetum est, tunc ibi non erit jus illud consuetudinarium, sed scriptum, et eatenus propria forma et promulgatione indigebit. In cæteris vero causis non est differentia inter has leges, cum proportione de illis loquendo, quia de materia jam dictum est debere esse honestam, communi bono accommodatam, ac denique rationabilem. Ac subinde rationem esse veluti animam utriusque legis, et utramque etiam maxime pendere a voluntate principis habentis potestatem legislativam, quæ est in utraque propria causa efficiens, et voluntas est quasi intrinseca forma.

2. *Effectus consuetudinis ex dictis colligendi.*

— Simili modo discurri potest per effectus. Nam etiam consuetudo obligat de se in conscientia, cum sit vera lex, cap. *In his*, d. 11, et tradunt communiter doctores, ut videri potest in Felin., cap. 1 de Spons.; Rocho supra, sect. 1, n. 12 et 13, ubi alios allegat. Unde consequenter fit ut hæc obligatio sit gravis vel levis, juxta materiæ qualitatem, nisi de contraria intentione populi constet; nam quoad hoc omnia dicta de obligatione legis humanæ scriptæ, possunt ad hanc legem accommodari; nam eandem rationem in illa habent, proportione servata.

3. *Consuetudo potest legem pœnalem indu-*

cere.—*Consuetudo inducere potest quasi legem pure pœnalem.*—Potest autem hic inquiri an possit hæc lex etiam obligare ad pœnam, seu an consuetudo possit inducere legem pœnalem. In quo breviter dicendum est posse, quia ratio facta de lege absoluta procedit etiam in lege pœnali. Quæ etenim potest assignari repugnantia ut non possit consuetudo obligare ad pœnam, sicut potest ad culpam? Imo eo ipso quod obligat ad pœnam, facit transgressorem consuetudinis reum pœnæ; nam hic reatus sequitur ex culpa; ergo, pari ratione, poterit eadem consuetudine introduci determinatio pœnæ, ut, scilicet, qui talem consuetudinem violaverit, tali pœna puniatur, et tunc justa erit pœna quasi per legem consuetudinis taxata. Exemplum accommodatum est in capite *Super eo*, de Cognat. spirit., cum his quæ ibi notant Innoc., Abb. et alii, de consuetudine servandi talem vel talem ritum accidentalem matrimonio, et separandi ad tempus eos qui aliter contraxerint, in pœnam prioris consuetudinis violatæ: nam quoad utrumque justa censetur et servari debet. Item potest consuetudo taxare pretium alicujus rei, non minus quam lex scripta; ergo et pœnam delicti, et ita communiter auctores loquuntur de consuetudine pœnali, ut est videre in Rocho, sect. 4, n. 20 et sequent., ubi plures allegat. Denique existimo consuetudine etiam induci posse quasi legem pure pœnalem, ratione cujus possit aliquis non observans illam in aliquo mulctari, etiamsi in eo non peccet, quia quoad hoc etiam est eadem ratio de consuetudine, quæ de lege scripta. Videtur tamen tunc illa consuetudo magis per modum cujusdam præscriptionis, quam per modum legis, quia tunc videtur esse illud veluti quoddam tributum, ad quod exigendum respublica vel princeps per consuetudinem acquisivit jus, tali vel tali conditione expleta, vel non servata. Posset denique introduci consuetudine, ut qui consuetudinem non servat, aliquid debeat in conscientia solvere, etiam non punitus, et tunc propria ratio consuetudinis legalis servaretur: hujusmodi autem consuetudines raræ vel nullæ sunt.

4. *Quid valet consuetudo circa contractus validitatem.*—*Sententia canonistarum refellitur.*—Item solet quaeri an jus consuetudinarium extendi possit ad effectum irritandi actus seu contractus, vel inhabilitandi personas ad illos. Sed hoc proprie tractari solet in materia de matrimonio, ut late per Sanci., libr. 7, disput. 4. Eadem vero ratio fere est de aliis

contractibus, ut attigit Felin. in cap. 1 de Spons., n. 2 et 3. Dicendum ergo est consuetudinem prohibentem aliquos actus, vel tantem formam illis posse ea mente et animo introduci, ut actus aliter factus non valeat, et talem consuetudinem rationabilem, et præscriptam, vel a principe expresse aut tacite approbatam, habere hunc effectum irritandi contrarium actum. Ita docent multi doctores, quos Felin. et Sanc. supra referunt, et sumitur ex cap. *Super eo*, de Cognat. spirit., ubi (juxta veriore interpretationem et planum contextum) supponitur posse consuetudinem ecclesiasticam introducere impedimentum irritans matrimonium, et tunc separandos omnino esse qui contra consuetudinem contraxerint. Et idem colligitur ex cap. 1 ejusdem tituli, ubi specialiter postulatur consuetudo *quæ scandalum generet*, utique si violetur, quam additionem specialiter notant et requirunt canonistæ. Verumtamen, si consuetudo talis sit ut irritans impedimentum introducat, non potest ejus transgressio non generare scandalum, et ita scandalum ponitur ut signum talis consuetudinis. Unde non mihi placet quod aliqui canonistæ dicunt, hunc effectum in casu illo et similibus, magis esse propter vitandum scandalum quam propter consuetudinem. Nam propter vitandum scandalum vera matrimonia non dissolvuntur, nec ratione scandali irritari posset matrimonium nisi supponeretur impedimentum, seu lex irritans per consuetudinem inducta.

5. Simile colligi potest ex c. *Olim*, de Cleric. conjug. juncta Glossa, verb. *Repugnet*, quæ ex textu notat aliquem, alias habilem, propter consuetudinem fieri posse ineligibilem. Sic etiam dicit Glossa in Authent. Ut præpon. nom. Imper., c. 1, verb. *Auctore*, per textum illum, consuetudinem posse introducere formam substantialem contractus, ita ut omissio illius contractum irritet; quam alii sequuntur, quos Felin. supra refert, et Rocho dicto cap. ult., sect. 1, n. 10; et alia refert Anton. Gabr., lib. 6, titul. de Consuetudin., concl. 3, præsertim a n. 4. Ratio denique est, quia consuetudo rationabilis et præscripta habet cæteros effectus, quos lex humana habere potest; ergo et hunc, quia nulla ratio probabilis afferri potest, quare ad hunc sit impotens magis quam ad alios. Nam, sicut voluntas principis expressa per verba potest hunc effectum efficere, ita et tacita per consuetudinem declarata, juxta rationem legis *De quibus*, ff. de Legib. Et ita hic applicari possunt omnia jura gene-

raliter loquentia de viribus consuetudinis, et æquiparantia illam cum lege scripta, et specialiter facit cap. ult. de Consuetud., ut recte ex illo argumentatur Sane. supra, apud quem plura de hoc puncto videri possunt. Neque occurrit difficultas alicujus momenti cui satisfacere necesse sit.

6. *Quomodo consuetudo legi æquiparatur.*—Præterea æquiparatur consuetudo legi in suo effectu quoad personas quas jure suo obligare potest; nam, sicut lex obligat subditos, ita et consuetudo; et sicut lex non obligat extra territorium pro quo fertur, ita nec consuetudo. Unde si consuetudo sit universalis totius Ecclesiæ, omnes christianos indistincte obligat; si sit solius regni, vel diocesis, omnes incolas; si solius civitatis, omnes et solos cives; et sic cum proportione de cæteris communitatibus. Generalis enim regula est, ut consuetudo unius communitatis non obligat aliam distinctam, quia nec una communitas habet potestatem dandi leges alteri, nec princeps suum consensum ad hoc præbet. Quod adeo verum est, ut etiam consuetudo civitatis aut episcopatus romani per se spectati, ut particularis episcopatus est, non obliget alias Ecclesias, quia, ut sic, non se gerit ut superior illis, nisi Pontifex præcipiat talem consuetudinem alibi observari, ut constat etiam ex usu, et notavit Panorm. in c. ult. de Fieriis, in fin.; Turrecr. in c. *Nolite*, d. 11; Rochus supra, sect. 4, n. 18, ubi alia allegat.

7. *Objectio.*—Objici vero potest capit. *Super eo*, de Cognat. spirit., ubi præcipitur cuidam Episcopo *Consuetudinem suæ metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, et diligentius imitari.* Unde videtur colligi consuetudinem unius episcopatus obligare in alio, et præsertim consuetudinem Ecclesiæ metropolitanæ obligare suffraganeos; et ratio ibi redditur, quia grave est antiquam consuetudinem circumjacentium Ecclesiarum contemnere. Respondeo duo tangi in illo textu. Unum est de consuetudine metropolitanæ Ecclesiæ, an sit servanda in diocesi suffraganea. In quo imprimis est certum, si in episcopatu sit contraria consuetudo, illam prævalere, quod omnes fatentur, cum prævaleat etiam juri communi, ut capite sequenti dicitur. Si autem in speciali episcopatu non sit propria consuetudo, tunc videtur ex illo textu colligi, servandam esse consuetudinem metropolitanam. Et potest fundari in alio principio recepto a multis canonistis, consuetudinem civitatis obligare oppida subjecta, et intra districtum civi-

tatis constituta, si propriam consuetudinem non habeant. Quod tradit Bartol. in l. 2, cod. Quæ sit longa consuetudo, quæst. 36, n. 41; et Anton. in cap. ult. de Constit.: et ibi Roch., referens multos, sect. 4, n. 17.

8. *Sicut statuta propria Archiepiscopi non obligant suffraganeos, ita nec consuetudo.*—Sed hoc fortasse procedet quando civitas, suis statutis municipalibus, potest obligare castra vicina suæ jurisdictioni immediate supposita. At hoc non potest accommodari inter Ecclesiam metropolitanam et suffraganeam, quia non intervenit ibi illa subjectio et immediata jurisdictio. Unde, sicut statuta propria Archiepiscopi non obligant in episcopatibus suorum suffraganeorum, ita nec consuetudo. Existimo ergo illum textum esse intelligendum, quando consuetudo prævaluit in tota provincia, et in aliquo episcopatu ignoratur, quia fortasse non accidit casus in quo praxis conformis vel contraria consuetudini possit ostendi. Tunc enim ait Papa consulendos esse convicinos Episcopos, et maxime metropolitanum, et eorum consuetudinem esse sequendam, quando nimirum illam observant ut totius provinciæ universalem, et non ut propriam suæ diocesis.

9. *Quas personas obligat consuetudo.*—Atque hinc expediendæ sunt omnes quæstiones quas Bartol., dicta l. 2, quæstion. ultim., et Rochus, section. 8 et 9, late tractant, de personis quas obligat consuetudo, ut, an obliget principem vel senatum supremum, et an consuetudo civitatis vel territorii obliget forenses; item an obliget cives extra territorium. Sed in his et similibus eadem ratio est in consuetudinibus, quæ in legibus vel statutis scriptis, propter rationem fundamentalem positam, quod consuetudo, de qua tractamus, est vera lex, et ab eadem potestate et jurisdictione procedit, solumque differt in modo, qui non variat rationem obligandi in omnibus illis casibus; et ideo quæ de lege humana diximus in omnibus illis quæstionibus, ad consuetudinem applicanda sunt. Qui vero plura de illis quæstionibus desiderat, videat dictos auctores, et Gregor. Lopez in l. 16, tit. 1, partit. 1, Gloss. 1, Ant. Gabr., lib. 6, tit. de Consuetudin., conclusionem primam et secundam, et alios quos ipsi allegant et quæ dixi tomo primo de Religione, tractatu secundo, libro 2, cap. 13 et 14.

10. *Consuetudo laicorum non obligat clericos.*—*Consuetudo mixta obligat tam clericos quam laicos.*—Solum de quæstione quadam ab omnibus disputata, pauca notabo, an, scilicet,

consuetudo laicorum obliget clericos. In qua variæ sunt opiniones quas omitto. Communis et recepta a canonistis est, consuetudinem quæ est tantum laicorum non obligare clericos, quia sunt veluti populi distincti, et inter eos est eminentior clericorum communitas. Ac denique quia clerici omnino exempti sunt a potestate laicorum. At vero si consuetudo sit mixta laicorum et clericorum, tunc obligabit clericos, quia jam ipsi clerici consentiunt, et ita non ligantur consuetudine laicorum, sed propria. Ita tradit late Rochus dicto cap. ult., sect. 8, n. 54 et 65, ubi varias ampliaciones et limitationes congerit, et plura allegat quæ in eo videri possunt, et in Felin., in c. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ*, de Constitution., n. 100 et sequentibus, et in c. *Ad nostram*, de Probation., n. 3, ubi etiam Abbas, notab. 3; Albericus, tractat. de Stat., 2 p., q. 9.

11. *Notandum est qua voluntate consuetudo inducta est.*—Notandum vero occurrit, cum consuetudo, ut est lex, non inducatur principaliter a populo illam introducente, sed a principe consentiente, potius considerandum esse qua potestate consuetudo confirmetur, et in ratione juris stabilietur, quam statum personarum quæ illam observaverunt. Nam voluntas principis seu Prælati est causa per se; voluntas autem populi est causa motiva, et quasi occasio et petitio talis juris. Ita ergo resolutio quæstionis, an consuetudo liget clericos, multum ex hoc pendet, an consensu Prælati ecclesiastici vel principis secularis firmata sit. Hæ autem potestates per materiam et finem optime distinguuntur, ut supra dictum est, et ideo spectanda etiam est materia consuetudinis, an sit spiritualis vel temporalis, et an tendat ad salutem animæ et cultum Dei, vel ad politicam gubernationem. Et ex his tribus principiis, potestate, materia et fine, pendere censeo resolutionem prædictæ quæstionis, magis quam ex personis consuetudine utentibus, quamvis hoc etiam juvare possit.

12. *Prima conclusio.*—*Quando clericos obligat consuetudo.*—Dico ergo, si consuetudo sit in materia civili et politica, et vim habeat ex consensu principis temporalis, non ligare clericos per se loquendo, id est, nisi sit talis quæ non sit contra libertatem ecclesiasticam, sed pertineat ad communem convictum civium, ut cives sunt; tunc enim de illa censendum erit, sicut supra de lege civili dictum est. Nam hæc assertio ex dictis ibi pendet, quia consuetudo illa civilis est, et jus civile introducit. Patet etiam prima pars, quia princeps laicus

per expressam voluntatem non potest obligare clericos, ergo nec per tacitam, nec etiam ipsi clerici possunt consentire contra suam immunitatem, nec etiam Prælati ecclesiastici consentire censetur. Altera vero pars constat ex dictis supra de lege scripta; nam eadem est ratio de consuetudine, in qua clerici non considerantur ut clerici, sed tantum ut cives, et ita in eodem sensu accipienda est. Quod si materia etiam mixta sit, ut si pertineat ad politiam civilem et ecclesiasticam, et in utraque servetur per communem utriusque populi seu status consuetudinem, tunc erunt veluti duæ consuetudines, et revera duo jura, unum civile habens vim a consensu principis laici, et aliud ecclesiasticum, habens vim a consensu Prælati ecclesiastici, et unaquæque obligabit suos subditos, et una poterit sine alia revocari. Denique, si materia consuetudinis sit spiritualis, et ad bonum animæ tendat, ut jejuniium, etc., sic quidem una erit, et obligabit clericos et laicos, quia nitetur in potestate et consensu Prælati ecclesiastici tantum, et in ea non tam considerantur subditi, ut laici vel clerici, quam omnes ut christiani.

13. Tunc autem dubitari potest an, simili consuetudine spirituali (ut sic dicam), usus tantum laicorum possit introducere consuetudinem quæ clericos etiam obliget. Nam, juxta regulam dictorum juristarum negandum est, et ex theologis negat etiam Palud. in 4, d. 15, quæst. 4, art. 3; tum quia clerici habent suum modum vivendi proprium, ut, verbi gratia, proprias abstinentias, etc.; tum etiam quia sunt veluti senatores, quos non obligant plebiscita, nisi consentiant; tum denique quia monachi non obligantur consuetudinibus secularium clericorum, etiamsi religiosæ sint et sanctæ; eadem autem est ratio et comparatio. Sed hæc rationes me non cogunt, quia jus ex tali consuetudine resultans est episcopale, nam a Prælati tacito consensu vim habet, et materia ejus de se communis est clericis et laicis: nam in jejuniis publicis vel festorum observationibus, non habent clerici seculares speciales observantias ex lege, et ita cessat prima ratio. Atque etiam enervatur secunda, quia hæc non recte comparantur plebiscitis, nam ista a populo cum suo tribuno speciali proficiscuntur: jura vero talium consuetudinum procedunt a Prælato communi clericis et laicis. Tertia etiam non procedit, quia clerici seculares non sunt exempti a jurisdictione episcoporum, sicut religiosi. De quibus etiam potest esse quæstio, quæ, ut fundatur in exemptione,

eandem difficultatem habet in consuetudine, quæ in præceptis synodalibus, de quibus supra dictum est.

14. *Secunda conclusio.*— Dico ergo posse obligationem hujusmodi consuetudinis extendi ad clericos, et de facto extendi si tacita vel expressa episcopi voluntas sit, jus episcopale inducere pro sua diocesi, quod potest sine dubio facere, et præsumetur ita facere quando materia consuetudinis de se communis est, et ita omnibus æque utilis ac facilis, ut sine scandalo non possit obligatio quibusdam imponi, et non aliis, et maxime quando totus populus laicorum conspirat, qui, respectu talis consuetudinis, ut dicebam, non considerantur ut laici, sed ut christiani, et ideo vincere possunt clericos, et pro illis etiam consuetudinem introducere, consentiente Prælato. Aliquando vero potest esse consuetudo magis propria laicorum, vel ex modo quo introducit, verbi gratia, per speciale votum ipsorum, aut ex parte materiæ quæ illos decet magis quam clericos, et tunc poterit facile illos obligare, et non clericos, et ita etiam approbari, quod ex ipso usu et circumstantiis discernendum est.

15. *De extensione consuetudinis ab uno casu ad alium similem.*—Pertinet præterea ad effectus consuetudinis alia quæstio, quam dicti jurisperiti tractant, scilicet, an hæc obligatio consuetudinis ab uno casu ad alium, propter similitudinem rationis, extendatur. Et fere communiter definiunt admittendam esse hujusmodi extensionem, licet postea varias declarationes et limitationes multiplicent, ut videre licet in Rocho Curt. in dicta section. 4, fere a principio; Burgos de Paz in l. 1 Tauri, n. 51. Verumtamen hæc extensio rara est, ut existimo; nam imprimis non potest esse major extensio in jure consuetudinis quam possit esse in lege, quia non est major vis consuetudinis quam legis, quoad obligationem quam inducere possunt, proportionem servata, ut ex dictis constat. Deinde addo difficilium fieri extensionem in consuetudine quam in lege scripta. Primo, quia lex maxime solet extendi ampliando verba, juxta significationem et usum quem, secundum jus, habent in tali vel tali materia; unde cum in consuetudine desint verba, ille modus extensionis in ea locum non habet: ergo ex hac parte constat non æque posse extendi consuetudinem ac scripta. Deinde, in superioribus, etiam circa legem scriptam monui raro esse hanc extensionem admittendam, nisi habuerit magnum fundamentum in jure. Hic vero addo difficilium multo, ac sub-

inde rarissime habere locum in consuetudine. Nam obligatio legis ex vi solius consuetudinis difficillime cognoscitur in loco, et populo, et propria materia in qua versatur; quomodo ergo poterit facile extendi ad alia, nisi a jure fiat extensio, vel nisi sint tam similia, ut moraliter idem reputentur, vel nisi unum in alio a fortiori contineri, vel tanquam pars in toto includi, rationabiliter judicetur? Et ideo in l. 1, codic. Quæ sit longa consuetudo, dicitur: *Ut præses provinciæ, probatis iis quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causa cognita statuatur*, etc. Pondero enim illam particulam *in eodem*, identitatem enim significat, et ideo dico tantam debere esse similitudinem, ut identitas moraliter reputetur. Cætera in præcedenti libro, capite secundo, videri possunt.

CAPUT XVII.

UTRUM CONSUETUDO HABEAT VIM LEGEM INTERPRETANDI.

1. Hic est secundus principalis effectus quem jura tribuunt consuetudini. Convenit autem consuetudini quæ secundum legem fit; nam quæ est præter legem, non supponit legem quam interpretetur; quæ vero est contra legem, potius illi derogat, ut dicemus: igitur sola consuetudo secundum legem potest illam interpretari. Ratio autem hujus effectus est, quia non est necessaria major auctoritas, nec expressior voluntas ad interpretandam legem jam factam, quam ad novam introducendam; et ita omnes rationes factæ superiori capite a fortiori procedunt in hoc effectus, et jura sunt expressa, *Cum dilectus*, de Consuet., l. *Minime*, l. *Si de interpretatione*, ff. de Legib.

2. *Primus modus quo consuetudo legem valet interpretari.*— Ut autem assertio magis declaratur, et ratione confirmetur, adverte dupliciter posse consuetudinem valere ad interpretandam legem, uno modo in ratione signi vel testis, quia, quando talis est, consuetudo circa observationem legis indicat et testificatur illam fuisse mentem legislatoris, et ita fuisse receptam, et non alio modo, quia leges moribus coalescunt, ut dicit Isidorus in c. 1, d. 1. Sub hac autem ratione, consuetudo non potest reddere certam et infallibilem interpretationem, quia illa solum est quædam humana conjectura; est autem valde probabilis, et ita juvat multum ad doctrinalem interpretationem, et quo fuerit major et diuturnior consue-

tudo, eo erit probabilior conjectura, in quo nulla certa regula assignari potest, sed prudenti arbitrio relinquendum est. Addi vero potest non tantum consuetudinem quæ est circa observantiam ipsius legis, postquam condita est, sed etiam quæ illam antecessit, multum juvare ad legis sensum intelligendum. Nam quod dicitur in dicta lege: *Si de interpretatione legis queratur, imprimis inspiciendum est quo jure civitas retro in hujusmodi casibus uteretur*, potest convenienter intelligi non solum de consuetudine consequente legem, sed etiam de antecedente. Nam quia, teste Isidoro, lex secundum patriæ consuetudinem fieri debet, c. 2, d. 4, ideo ex antiquis moribus civitatis probabiliter conjectare possumus quo sensu fuerit lex instituta: unde in hoc sensu dicunt frequenter doctores legem esse interpretandam juxta consuetudinem loci, etiamsi oporteat verba legis minus proprie exponere, quia debet moribus hominum accommodari, ut late Gloss. in c. *Nonnulli*, de Rescript.; Bart. in l. *Omnes populi*, ff. de Just. et jur.; et Panorm. in c. *Certificari*, de Sepul., n. 2.

3. Alio modo potest consuetudo interpretari legem tanquam causa concurrens ad introducendam et stabilendam talem interpretationem, et legis obligationem in tali sensu, ut allegati doctores frequenter docent, et alii quos refert et sequitur Mascard., de Probat., vol. 2, concl. 1045, per totam, et aperte declaratur in l. *Nam imperator*, ff. de Legib., cum dicitur: *In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere*. Sicut ergo diximus, supra, interpretationem lege factam esse authenticam ex efficacia legis, quæ potest illam stabilire, ita dicendum est de consuetudine, quando ad illud gradum pervenit ut vim legis obtineat. Hæc ergo est propria ratio hujus assertionis, quia consuetudo efficax est ad legem introducendam; ergo etiam ad interpretandam legem efficaciter, et per modum legis. Quapropter omnia quæ necessaria sunt in consuetudine, ut legis vim habeat, eadem necessaria sunt ut hoc modo legem interpretetur. De illis ergo superius dicta sufficiunt.

4. Solum hic adnotabo Glossam in dicta l. *Nam imperator*, ex verb. *Perpetuo*, colligere necessarium esse decennium, ut consuetudo hanc habeat efficaciam. Sed si quis attente consideret, lex illa duo habet membra: unum est *consuetudo*, aliud *sententiæ judicium*, et particula *perpetuo* non jungitur cum priori membro,

sed simpliciter dicitur *consuetudinem*: particula autem *perpetuo* ponitur in posteriori membro, ut declaretur, non quascumque sententias, sed illas quæ semper fuerint concordantes, hanc vim habere. Quocirca pro priori membro nulla additur in illa lege temporis declaratio, sed per generales regulas intelligenda est de consuetudine legitime præscripta. In posteriori etiam membro illa particula *perpetuo* non significat annorum numerum, sed concordiam sententiarum perpetuam, id est, sine varietate aut repugnantia earum inter se; hic enim est planus sensus talium verborum in communi usu. Quis autem numerus sententiarum ad hoc sufficiat, non declaratur ibi, sed juxta dicta etiam in superioribus intelligendum est. Nam eatenus sententiæ habent hanc vim, in quantum consuetudinem efficere possunt; unde si una tantum fuerit, vel pauciores quam ad legitimam consuetudinem sufficiant, facient probabile argumentum, non certam legem. Et ideo sæpe dixi judicariam interpretationem (ut sic dicam) ad usuaem, seu ad consuetudinem revocari; nam sententiæ ipsæ ad hoc maxime valent, quatenus communi consensu populi recipiuntur et probantur, ut Bart. et alii auctores in locis sæpe citatis advertunt.

5. *Quam efficax sit consuetudo in legibus interpretandis.*—Et juxta hæc intelligenda est multorum sententiæ dicentium, tam efficacem esse consuetudinem ad interpretandam legem, ut, licet ex verbis vel materia legis ambiguum sit an contineat præceptum obligans sub mortali, necne, et ideo per se sumpta esset in benigniorem partem interpretanda, nihilominus si constet consuetudinem esse receptam ut graviter obligantem, sub mortali obligare censendam esse. Ita Sylvest., verb. *Præceptum*, n. 2, in fin.; et Cajet. 2. 2, quæst. 186, a. 9, ad 2, et quæst. 147, art. 3, circa ad 2, loquens in particulari de jejunii præcepto. De quo idem habet Navar., cap. 21, n. 11. Et eadem ratione potest consuetudo interpretari verbum *præcipiendi*, sub quo lex fertur, rigorosam obligationem significare, ut supra Sylvest. et et Cajet. notant ex Clement. *Exivit*, § *Item ordo*, de Verbor. signif., ubi Glossa etiam id advertit. Et ratio est, quia legislator censetur uti verbis juxta communem usum; unde etiam eam verso: quamvis verba et materia præcepti videantur sufficere ad obligationem sub mortali, si aliter consuetudo interpretata est legem, solum obligabit sub veniali, ut etiam Cajet. adnotavit. Est enim eadem ratio, quia consuetudo, sicut potest introducere legem,